

proximos capitulo celebrando ibidem continuo permanserint: *ex dec. Cong. Epis. et Reg. 7. Feb. 1648.*

II. Electi in quibuscumque capitulis uno suffragio supra medietatem, si non aperta fuerit eorum schedula ad videndum, an sibi ipsis sufragati fuerint (*ex dec. Cong. Conc. in Milevitana synodi 2. Julii 1707. ad dubium 35.*) Quod non est contra jus, imò plures Religiones habent statuta hujusmodi, ut mea, (*ex dec. cap. gener. 1748.*) Idem servatur in electione Papæ (*ex const. decret. Greg. XV. §. de numeratione suffrag.*) Aperta autem schedula, recognosci tantum debet à tribus scrutatoribus, non manifestato nomine illius, cui electus saffragatus est, ut juxta Trid. eligentium vota secreta semper remaneant.

III. Superiores locales in capitulis Provincialibus neque activo, neque passivo suffragio gaudent, nisi juxta constit. Innoc. XII. *Nuper*, exhibuerint fidem ab omnibus Sacerdotibus cujuscumque domus regularis subscriptam et juratam, quòd omnibus et singulis tum perpetuis, tum manualibus missarum oneribus fuerit omninò et integraliter satisfactum; vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiàm hujusmodi residuali implemento missarum distinctè referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri.

Attendendum est etiàm sequens sac. Visitationis apostol. decretum sub die 14 octob. 1601. à Clem. VIII. approbatum. *Privatio vocis activæ et passivæ, ac inhabilitatis decreta, sententiæque ab eisdem superioribus Ordinibus late. ne deinceps in ipso electionis actu pronuncientur, promulgenturve, atque eæ prolatae vocales minimè afficiant, nisi per mensem ante fuerint intimitate, prout Sanctitas sua omninò vetuit.*

Excipiuntur tamèn casus, qui emergent, congregato jam capitulo, propter quos aliquis privandus esset voce activa, vel passiva; tunc enim, ipso summario audito, si constaret verè incurrisse hanc privationem, pronunciarì posset sententia, et excludi deberet.

97. Q. IV. *An Religiosi electi in vocales, seu discretos capituli provincialis aut generalis, renunciare possint electioni de se factæ?*

R. 1.º In hoc puncto observanda esse statuta cujusque ordinis: et quidem, si Religio prohibet, vel pœnas statuit contra illos, qui ex officio tenentur, et renuntiare ad actus capitulares, non admittitur renunciatio, nisi justa et gravis causa aliud suadeat, ne per talem renunciationem bono publico noceatur.—2.º Abstrahendo à particularibus statutis, negativè. Ità Peregr. Dian. et alii; nam per taem electionem non acquiritur aliqua dignitas et præ eminentia, sed onus, munus et officium exequendi id, quod agendum est pro communi bono: sed Religiosus oneri et officio renuntiare non potest, sed tenetur illud ex obligatione implere; ergò neque potest renuntiare tali electioni: tum quia, si unus non teneretur interesse capitulis, nec tenerentur alii, imò forsàn plurimi cum S. Greg. Nazianz. mallent abesse ab his conventibus; quod sanè cederet in magnum præjudicium et detrimentum boni communis.—*Nec obstat*, quòd quisque favori suo renuntiare possit per *l. fin. C. de Pactis*: nam publico favori pactis privatorum renuntiarì non potest; in dato autem casu favor est publicus in bonum Religionis in-

troductus, et respectu Religiosi non tam favor est, quam onus subeundum.

98. Q. V. *Quæ sint specialia in electione abbatissarum?*

R. 1.º Qualitates eligendæ in abbatissam seu præfectam monasterii sunt:—ut sit *virgo*, saltèm existimata (*can. 12. juvenculus 20. q. 1.*):—*legitimè nata*, arg. *c. 7. h. t.*, ubi legitimitas requiritur in eligendis;—non minor annis 40, et quæ 8 annis post expressam professionem laudabiliter vixerit; vel si necessitas aliud exposcat, de consensu Episcopi, vel alterius superioris, quæ annum trigesimum excesserit, et quinque saltèm post professionem laudabiliter vixerit, (*Trid. sess. 23. c. 7. de Regul.*)

* Si una sola in monasterio reperiretur habens ætatem à Trid. requisitam, ipsa deberet eligi, licèt esset alia illa habilior, quamvis huic deficeret unus tantum ætatis mensis, *ex decreto cong. Ep. et Reg. in Viterbien. san. Rosæ 23. Martii 1623.* Vide notata Elencho VI. n. 91.

2.º Quod formam electionis concernit, præses erit Episcopus, vel alius superior, qui tamèn cum scrutatoribus claustra monialium non ingredientur, sed per cancellorum fenestellam vota excipient; nisi necessitas et tranquillitas in electione aliud suadeat, juxta Const. Greg. XIII. *Ubi gratiæ*. Vota secreta dantur à professis; et si electio celebrata est in concordia, sufficit major pars absolutè, per *cap. 42. hoc tit.*; si verò celebrata est in discordia, servanda est constitutio *cap. 43. Indemnitatibus h. t. in 6.*, vi cujus electa à majori parte absolutè, licèt minor contradicat, interim ante confirmationem tam in spiritualibus, quàm temporalibus administrabit; non confirmabitur autem electa in discordia, nisi duæ partes ex tribus concurrant saltèm per accessum; vel donèc superior ex officio plenè, de plano tamèn, cognoscat ea quæ obijciuntur electæ, aut contra formam electionis. Plura vide in Donato, Portell. Dian. Ant. à Spirit. Sanct. Peyr etc.

* Circa electionem abbatissæ monialium Regularibus subjectarum vide Elencho VI. numer. 92. et 94.

TITULUS VII.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

99. *Nota*, translationem latè accipi pro quacumque mutatione personæ ab una ad aliam Ecclesiam; strictè autem est mutatio Episcopi ab uno Episcopatu ad alterum ex justa causa, et auctoritate Papæ. *Comm. ex Can. et seqq. 7. q. 1.*

400. Q. I. *An Episcopus confirmatus, aut consecratus possit à sua Ecclesia transferri ad aliam?*

R. Affirmativè, toto *h. t.*; et *Canon 34. mutationes 7. q. 1.* dicitur: *mu-*

a—De hac materia agitur in Decreto 7. q. 1. et 21. q. 2.

tationes Episcoporum scitote communi utilitate, atque necessitate fieri licere, sed non propria cujusquam voluntate aut dominatione. Sic S. Petrus Antiochia translatus est Romam, Eusebius Alexandriam, Felix Ephesum etc; nam quandòque ad bonum universalis Ecclesiae expedit, imò necessarium est has mutationes fieri.—*Nec obstat c. 2. pr. h. t. ibi: cum ergò fortius sit spirituale vinculum, quàm carnale etc.* maritus autem separari nequit à vinculo carnali uxoris, ergò nec Episcopus à vinculo Ecclesiae.—R. Vinculum Episcopale secundum quid esse fortius, tum quia est spirituale, atque ita nobilius; tum quia Episcopus etiam confirmatus propria auctoritate recedere non potest ab Ecclesia, sicut potest sponsus à sponsa de praesenti, scilicet ingrediendo Religionem; tum quia Episcopo character indelebilis imprimitur. Simpliciter autem loquendo, vinculum carnalis conjugii est fortius, quia saltè consummatum humana potestate solvi nequit à Papa.

401. Q. II. *Quid requiratur ad validam translationem Episcopi?*

R. 1.^o *Justa causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiae (cit Canon. mutationes):* nam inter Ecclesiam et Episcopum confirmatum est matrimonium spirituale ratum, et si Episcopus est consecratus, consummatum: quod utrumque esse juris divini docet Inn. III. (cap. 2. et fin. h. t.), Papa autem tanquam inferior nequit sine justa causa dispensare in jure divino.—2.^o *Requiritur auctoritas legitimi superioris, seu Papae (cit C. mutationes), ibi apostolica auctoritate mutatus est; et cap. 2. fin. h. t. ubi hæc potestas reservatur Sedi Apostol., licet olim ex indulgentia Romanorum Pontificum ad translationem suffecerit consensus Metropolitanus (Ca. 37. Episcopus 7. q. 1.)*—3.^o *Ut regulariter fiat de minori ad majorem Ecclesiam (c. 1. h. t.);* aliàs translatio ista non censeretur fieri ob necessitatem et utilitatem Ecclesiarum, sed potius ex avaritia vel alio pravo fine. Undè Archiepiscopus nequit transferri ad Episcopatum, nisi justa causa aliud suaderet, v. g. insalubritas aeris, inimicitia, insidia, vel nisi minor Ecclesia propter conversionem paganorum, aut hæreticorum indigeret tali pastore.

402. Q. III. *An Episcopus invitus transferri, vel addici possit alteri Ecclesiae?*

R. *Ad 1.^m Affirmative;* nam (arg. Canon. 4. d. 74.) Papa ex justa causa potest illum cogere, ut consentiat translationi; et si parere renuat, in pœnam inobedientiæ et obstinationis potest Episcopatu privare.

Ad 2.^m Negative, (ex cap. 3. h. t.); quia ad matrimonium tam carnale, quàm spirituale requiritur voluntarius consensus; ergò Episcopus invitus non potest alligari, seu copulari alteri Ecclesiae: simpliciter tamèn, ut alii Clerici, ei adscribi potest, cum hoc modo non contrahat vinculum Episcopale.

403. Q. IV. *Quandò sedes vacet Episcopo translato?*

R. 1.^o Si translatio fit ad instantiam translato, sedes seu Ecclesia statim vacat à die, qua Episcopus in consistorio Papae absolutus est à vinculo suæ Ecclesiae, licet litteræ apostolicæ nondum sint expeditæ, nec adepta possessio secundæ Ecclesiae. Ità declaravit sac. Congreg. Conc. an 1625. 20. Mart. approbante Urb. VIII. Nam dissoluto vinculo Episcopali, necesse

est vacare Ecclesiam; sed tale vinculum dissolvitur à Papa in suo consistorio, nisi sententia ejus alii tempore alligata sit; ergò. Idem ob eandem rationem dicendum, si Papa procedat jubendo ob publicam necessitatem, et Episcopum ignorantem absolvat à vinculo suæ Ecclesiae—2.^o Si Papa procedat non jubendo, sed providendo, Episcopus ignorans non censetur absolute transferri, nec sedes vacare, nisi à die præstiti consensus in translationem; nam translatio ista est conditionata, si Episcopus consentiat vel expressè, vel saltè tacitè, acquiescendo translationi.

404. Q. V. *An translatus aliquid percipiat de fructibus pendentibus et inexactis?*

R. Hos fructus pro rata temporis esse dividendos docent Covar. Flamin. Paris. Garzias, et alii, quia debentur propter spiritualia ministeria Ecclesiae præstita, contra Hostien. Sarmiento, Petr. Barbos. et alios sentientes deberi successorì, quibus favet Bulla Julii III. ab Urbano VIII confirmata, incip. *Cum sicut.* Nam Clerici in fundis beneficalibus non habentur pro dominis, sed pro usufructuariis: finito autem usufructu, fructus pendent non debentur usufructuario, vel ejus hæredibus (l. 13. ff. quib. mod. usufruct.) Hæc posterior sententia, speculative loquendo, est probabilior; quia tamèn Bulla Julii III. in pluribus locis non est usu recepta, hinc:—In dividendis fructibus inter antecessorem et successorem maxime spectanda est consuetudo locorum, quæ plerumque æquitate nititur, ut neutri fiat injuria.

Benedict. XIV. (lib. XIII. de synod. dioc. cap. 16. num. 7.) firmat eos percipere tantum posse usque ad illud temporis momentum, quo absolutus fuit in consistorio à vinculo prioris Ecclesiae; neque conferre posse beneficium, quod vacavit in sua diocesi post dictum tempus, nondum expeditis litteris super provisione secundæ Ecclesiae, minusque capta istius possessione. Hæc tamèn utraque prohibitio non habet locum, quando Episcopus transfertur sine sua scientia et consensu, qua solum obstringetur, quando post sibi nunciatam vinculi enodationem suum accommodaverit consensu, vel hunc Papa suppleverit, volueritque, ut translatio sortiatur effectum, ut probat idem Bened. loc. cit. num. 9. Respectu Episcoporum Regni Poloniæ in casu translationis aliter provisum est ex decreto ejusdem Urbani *ibidem relato. n. 17.*

Medio autem tempore inter solutionem vinculi et allatum de ea nuntium, regimen et administratio Ecclesiae (ex cit. declaratione) est penes Episcopum; et tunc tantum transfertur in capitulum, quando notitia absolutionis pervenire ad eundem Episcopum translatum.

Circa translationem Episcoporum vide constit. ejusdem Bened. *Ad Apostolicæ 17. Octob. 1740,* qua examen causarum translationis faciendæ committitur Cong. particulari ad hunc finem erectæ.

405. Q. VI. *An ad translationem Prælatorum Episcopo inferiorum requiratur consensus Papæ?*

R. Negative; sufficit enim consensus immediati superioris, sive iste sit Papa, sive Episcopus, sive alius, à quo dependet Prælatu transferendus (Can. 8. Abbas 18. q. 2. et c. 7. de consuetud.), cum inter Prælatos inferiorum

res et eorum Ecclesias non sit conjugium, seu vinculum spirituale propriè tale.

TITULUS VIII.

DE AUCTORITATE ET USU PALLII. *

406. *Nota*, hunc titulum per modum complementi sequi ad præcedentes, quia quidam promoti sine Pallio non consequuntur plenitudinem potestatis officii sui; idque ex usu antiquissimo, cum jam ab ipso S. Petro pallium dicitur missum S. Materno Episcopo Trevirensi. Porrò, pallium ex lana alba in circuli figuram contextum, et quatuor nigris vel rubris crucibus distinctum, est præcipuum ornamentum Archiepiscoporum, de corpore S. Petri sumptum, significans plenitudinem Pontificalis officii. Dicitur autem (in *c. 4. de elect.*) à B. Petri corpore assumi, quia ordinariè benedicitur super altare S. Petri, et per illud confertur portio Ecclesiasticæ potestatis, ejus plenitudo in S. Petro ejusque successoribus residet.

* Circa ritum servandum in palliorum benedictione, eorumque custodiam, vide const. Bened. XIV. *Rerum 12. Augusti 1748.* **

407. Q. I. *Quis, et cui conferre possit pallium?*

R. Ad 1.^m Solus Romanus Pontifex jure ordinario (*c. 4. de elect. c. 3. h. t.*), nam solius Papæ est conferre plenitudinem Pontificalis officii, quæ per pallium significatur. Olim ex privilegio pallium conferre potuerunt quatuor principales Patriarchæ, Alexandrinus, Jerosolimitanus, Antiochenus, Constantinopolitanus.

Ad 2.^m De jure communi Pallium conferendum est Archiepiscopis et his majoribus, ut Primatibus et Patriarchis, ad quod instanter petendum obligantur intra trimestre à die consecrationis suæ: vel si consecrati sunt à die confirmationis; alioquin ob negligentiam commissa sibi dignitate privantur (*c. 4. 2. d. 100.*) Volentes autem pallii traditionem impedire per objectionem criminis aut defectus, observare tenentur *extrav. unic. h. t. inter com.* At ex privilegio pallium conceditur quibusdam Episcopis, ut Ostiensi, qui Papam consecrare solet, Papiensi, Lucensi, Quinque-ecclesiensis, hodie Passaviensi etc.

408. Q. II. *Quod jus, seu auctoritas per pallium conferatur?*

R. 1.^o Confertur jus tituli seu nominis Archiepiscopalis: nam ante obtentum pallium non dicitur Archiepiscopus, sed Metropolitanus (*c. 3. h. t.*)—2.^o Confertur jus seu plenitudo Archiepiscopalis officii, in hoc consistens: quod Metropolitanus post acceptum pallium exercere possit actus *simpliciter Archiepiscopales*, ut visitare provinciam, cogere concilium provinciale etc.

a—Agitur de hac materia in *Extrav. com. h. t.*—In decreto *dist. 10. et Can. Gallicanarum 25. q. 2.*

et actus *Episcopales majores*, ut conficere chrisma, dedicare Ecclesias, ordinare Clericos, benedicere Abbates et virgines, etc. (*cap. 28. de Elect.*) Minores autem actus Episcopales exercere potest ante obtentum pallium, ut consecrare calices, causas cognoscere et delegare, licentiam dare alteri Episcopo ad ordinandos Clericos, etc. (*cap. 11. de elect.*); item, ab alio invitatus extra provinciam suam solemniter exercere potest actus pontificales, ut consecrare Episcopos etc.; nam extra provinciam suam actus illos exercet, non ut Archiepiscopus, sed ut Episcopus simplex, cum extra provinciam pallio uti nequeat (*cap. 1. h. t.*)—3.^o Hoc jus pallii est personale certo territorio definitum (*cap. 2. h. tit.*), undè nec alteri est commodabile, nec transmissibile ad successorem, nec transferibile ad alterum Archiepiscopatum. Undè si Archiepiscopus transferatur ad alium Archiepiscopatum, novum pallium petere debet (*cap. 4. de postul. Prælat. in fin.*), et mortuus cum utroque sepeliri. Si verò pallium incendio vel alio casu absumatur, non poterit exercere actus majores pontificales, nisi urgeat necessitas et utilitas Ecclesiæ.

409. Q. III. *Quis sit usus pallii?*

R. 1.^o Romanus Pontifex semper et ubique; ceteri nec semper, nec ubique pallio uti possunt, *c. 4. h. t.*, ubi ratio additur: quia Papa *assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis*, alii verò *vocati sunt in partem sollicitudinis*.—2.^o Archiepiscopi utuntur pallio limitatè quoad locum, scilicèt in Ecclesiis suæ provinciæ tantum, *cap. 1. h. t.*; ex quo explicatur et suppletur *c. 6. eod. ibi: ubicumque*, hoc est, in quacumque ecclesia tuæ provinciæ.—Quod tempus concernit, assignantur certæ festitates et dies, quibus eo uti possunt, ut festa Domini, Apostolorum, quatuor festa B. V., in dedicatione, ordinatione etc.; si tamèn privatim celebrent, non tenentur uti, cum hujus usus sit inter missarum solemnias (*c. 4. h. t.*)

410. Q. IV. *An Archiepiscopus uti possit pallio in ecclesia exempta suæ provinciæ, etiam Rectore illius invito?*

R. Negat Pichler; sed cum communiore, affirmativè. Ità Abb. Engl. Schmalzgr., et alii, ex *Clem. 2 de Privil.* ubi Episcopo, et Archiepiscopo expressè conceditur usus pontificalium in loco exempto suæ diocesis, aut provinciæ, neque fit ulla exceptio pallii: nam talis celebratio cum pallio ad dignitatem et honorem potius, quàm ad jurisdictionem spectat; ergò concessa videtur per cit. Clem.

Dices: 1.^o Juxta *c. 4. h. t.* Archiepiscopi uti possunt pallio in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem acceperunt.—2.^o Pallium significat potestatem et sollicitudinem pastorem, quæ non datur in exemptos.

R. Ad 1.^m *Cit. cap. 4* procedit de jure ordinario; nostra autem resolutio fundatur in privilegio Clementinæ.—Ad 2.^m D. A. Significat in loco apto et ordinario, C. A. In loco non recipiente hanc significationem, N. A., Nam pallium in loco subjecto significat et honorem et jurisdictionem: in loco autem non subjecto, sed exempto, solum honorem, sicut insignia proconsularia (*l. 1. ff. de off. Procon.*)

TITULUS IX.

DE RENUNTIATIONE. ^a

411. *Nota I.* Renuntiationem in genere esse voluntariam alicujus juris remissionem. At hic renuntiatio, specificè accepta et provisioni quasi contraria, est: *Libera remissio juris in beneficio ecclesiastico habiti, ex justa causa, et cum consensu Superioris legitimi eam acceptantis facta.*

Nota II. Renuntiationem esse duplicem; *expressam*, quæ fit verbis juxta formam à jure præscriptam; et *tacitam*, quæ fit facto aliquo, quod vel ex natura sua, vel ex dispositione juris inducit cessionem beneficii; ut si minorista uxorem ducat, vel fiat miles (*c. 1 de Cleric. conjug.*); si quis consequatur alterum beneficium incompatible (*c. 28 de Præb.*) Rursùm, renuntiatio expressa, vel est *pura*, nulli conditioni, modo aut pacto alligata, vel est *modificata* seu *conditionalis*, quæ fit sub certa conditione, modo aut pacto, cujus species sunt: resignatio *ex causa permutationis in favorem certæ personæ, et non aliàs, cum reservatione fructuum*, aut *pensionis*: itèm cum reservatione *accessus, ingressus, et regressus*. Tunc reservatur *accessus*, dum resignans, v. g. puer incapax administrandi beneficii, reservat sibi jus post adeptam ætatem priora auctoritate accedendi, seu occupandi beneficium. Tunc reservatur *ingressus* dum resignans beneficium collatum, necdùm à se possessum, reservat sibi jus illud ingrediendi in casu, quo resignatarius citiùs moreretur. *Regressus* reservatur, dum resignans beneficium à se possessum, reservat sibi jus regrediendi ad illud in casu, quo resignatarius citiùs moreretur, vel alio modo amitteret beneficium.

412. *Q. I.* *Quæ beneficia sint, vel non sint resignabilia?*

R. 1.º Omnia, sive minora, sive majora, nisi reperiantur specialiter excepta: nam juxta regulam generalem (*l. final. C. de Pactis.*) quisque juri suo renuntiare potest. Et ne dubium esset de papatu, S. Cælestinus V declaravit, licitum esse renuntiare papatui: id ipsum confirmat Bonif. VIII. *c. 1 h. t. in 6.*, nam salus animæ et utilitas Ecclesiæ talem renuntiationem suadere potest.

2.º Dantur beneficia, quibus renuntiare nequit pro voluntate beneficiarii. Et quidèm:—Non valet renuntiatio beneficii *titularis*, ad cujus titulum quis ordinatus est, nisi copulativè hæc duo exprimentur, quod scilicet beneficium *titulare ordinationis*, et quod resignans stabilia sufficientia bona habeat ad congruam sustentationem, (*Trid. sess. 21. c. 2 de res.*)—Beneficium *litigiosum* nequit resignari in favorem alterius non litigantis (*c. 1 ut lite pend.*)—Itèm beneficia patronata, electiva, unita mo-

^a.—Agitur de hac in Sexto, et Clemen. *h. t.*—In Decreto 7. *q. 1* et 2 item in 17. *q. 1* et 21. *q. 2.*

nasteriis aut aliis capitulis, in commendam habita, per intrusionem sine titulo canonico obtenta, non possunt in favorem tertii resignari, cum hoc cederet in aliorum præjudicium; licet alioquin simpliciter et purè eis renuntiare possit.

413. *Q. II.* *Qui beneficiis renuntiare possint?*

R. Omnes, qui specialiter à jure non prohibentur: nam renuntiatio est de materia generaliter permissorum; ergò cuilibet permissa videtur, cui specialiter non prohibetur. Prohibentur autèm:—*1.º* Furiosi, et mente capti (*c. 5. h. t.*)—*2.º* In sacris constituti, si per hoc careant debita sustentatione, (S. Pius Const. incip. *Quanta* 1568 die 1 April.)—*3.º* Clericus impubes sine auctoritate tutoris, et decreto Superioris (*arg. c. 2 de ætat. et qual.*); at Clericus minorennis, qui necdùm 25 annos complevit, validè renuntiat, cum in beneficialibus habeatur pro majorenni (*c. fin. de judic. in 6.*); si tamèn læsus est, succurritur ei restitutione in integrum, sicut aliis minoribus.—*4.º* Novitius, cui non permittitur renuntiatio, nisi conditionata ante duos ultimos menses, si professio sequuta fuerit (*Trid. S. 25. c. 16 de Regul.*), ne minuatur ei libertas profitendi ob defectum sustentationis.—*5.º* Criminosus, si ob crimen ipso facto privatus est beneficio; cum in tali casu nihil habeat suum proprium, quod resignare possit. At si primò per sententiam privandus est beneficio, validè illud resignat, non tantùm simpliciter, sed etiam in favorem tertii; cum tali casu adhuc jus et titulum habeat, donèc per sententiam eo privetur.—*6.º* Infirmus validè non renuntiat in favorem tertii, nisi post renuntiationem supervivat 20 dies completos, ex celebri regula 48. Cancellariæ, quæ dicitur *Regula de viginti*, seu *de infirmis resignantibus*, ut impediatur hæreditariæ successiones in beneficiis. Quam praxis curiæ extendit etiam ad sanos resignantes; ita ut si moriantur intra diem vigesimum, beneficium dicatur vacare per mortem, non per resignationem. Oppositum tamèn tenet Engl. *de Præb. num. 30.*

414. *Q. III.* *An, et quæ causæ requirantur ad resignationem?*

R. 1.º Ut resignatio Episcopatus rite fiat, requiritur justa causa: tum quia vinculum Episcopale, cum sit juris divini, temerè dissolvi non potest; tum quia arbitrariæ resignationes cederent in magnum detrimentum Ecclesiæ.

2.º Justæ causæ cedendi Episcopatu enumerantur sex in *c. 10. h. t.* ad quas ceteræ reduci possunt:—*Debilis corporis*, seu impotentia ad exequendum officium.—*Ignorantia*, seu defectus scientiæ necessariæ.—*Mala conscientia* criminis impediens exequutionem officii, ut simonia, assassinium etc.—*Irregularitas* personæ, in qua non solet dispensari; uti ex bigamia, ex homicidio voluntario, damnato coitu etc.—*Malitia plebis*, cujus emendatio non speratur:—*Grave scandalum*; quòd pusilli ex actis et præsentia Episcopi patiuntur.

Causa *assumendi Religionem* non est sufficiens per se, nisi Episcopo immineret periculum suæ salutis, et adessent alii meliores: nam ut ait Innoc. III. (*cit. cap. 10.*) *faciliùs indulgetur, ut monachus ascendat ad præsulatum, quàm præsul ad monachatum descendat*, nisi ante Episcopatum fecisset votum Religionis; tunc enim teneretur illud implere.

Dictæ causæ comprehenduntur his versiculis:

*Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis,
quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.*

Ad renuntiationem inferiorum dignitatum et beneficiorum sufficiunt minores causæ, ut patet ex Constit. S. Pii V. *Quanta* 1568. 1. April.; et quia constitutio ista non est ubique usu recepta, sufficit quæcumque rationalis causa, etiã privata commoditas.

115. Q. IV. *Quid sit de forma renuntiationis?*

R. 1.º Libertas, secus renuntiatio metu aut dolo exorta, vel ipso jure non valet, vel saltẽm iudicis sententia rescindi potest (c. 3. 4. *de his, quæ vi.*)—2.º Consensus eorum, quorum interest.—3.º Ut fiat verbis specificis, et expressis (c. 5. *h. t.*), imò de stylo curiæ Rom. supplicatio fieri debet in scriptis.—4.º Ut accedat consensus legitimi superioris (c. 4. *et fin. h. t.*)—5.º Ut renuntiatio admissa publicetur secundum *reg. 34. Cancellariæ* et Constit. S. Pii V. *Sanctissimus*, et Greg. XIII. *Humano*. Ceterum, parum refert, an quis renuntiet personaliter, an per procuratorem, liberè et cum speciali mandato constitutum. (*Clem. un. h. t.*)

His ritè observatis, sequitur effectus renuntiationis, scilicet resolutio juris et tituli beneficialis, ut amplius fructus ex tali beneficio percipi non possint, nisi admissa fuisset resignatio conditionalis, quæ non sortitur effectum nisi posita conditione.

116. Q. V. *Quis superior admittere possit renuntiationes?*

R. 1.º Superior habens jurisdictionem in renuntiantem (*arg. c. 4. et fin. h. t.*); nam resignatio quoad effectum æquiparatur destitutioni, cum per utramque dissolvatur titulus beneficii; ergò cujus est destituere aliquem beneficio, ejus est admittere renuntiationem. Undè renuntiatio in manibus laici facta, non valet (c. 8. *h. tit.*), licet Clericus spontè beneficium resignans, et illud denuò à laico suscipiens, in pœnam delicti sit eo privandus. Si verò illud resignet in manibus Ecclesiastici, qui non est legitimus superior, invalida est resignatio ex parte admittentis, utpotè non legitimi superioris: valet tamèn probabilius ex parte resignantis, quia æquiparatur pacto de non repetendo beneficio, sicut acceptilatio inutilis, licet non teneat, tamèn habet vim pacti tacitè de non repetendo (*l. 27. ff. de pactis.*)

2.º Superiores, quibus competit jus admittendi renuntiationes absolutas, sunt:—*Papa* semper et ubiquè.—*Legatus à latere* in sua Provincia, de jure communi (c. 1. *de offic. leg. in 6.*)—*Episcopi* in sua diœcesi, exceptis beneficiis exemptis.—*Capitulum*, sede vacante.—*Prælati* plenissimè cum Clero et populo exempti;—et si qui alii idem jus habent ex privilegio. Possunt quoquè iidem superiores admittere renuntiationes ex causa permutationis (*cap. 5. de rer. permut. c. un. eod. in 6. Clem. un. eod.*), licet jure antiquiori Episcopo prohibitum fuerit admittere renuntiationes ex causa permutationis (c. 8. *de Præb.*)

Hæ resignationes factæ extra curiam romanam, etiã ex causa permutationis, in manibus prædictorum collatorum, ex cit. Greg. constit. §. 7. admitti vel rejici debent intra mensem: et sic provisi tenentur eas publicare, et beneficii possessionem capere intra tres menses à die factæ provi-

sionis, sub pœna vacationis ipso facto promotionis et beneficii. Provisi autem per resignationes et permutationes factas in manibus Pape, tenentur sub eadem pœna ad dictam publicationem et possessionem intra sex menses citra montes; ultra, intra novem à data concessionis gratia, non à die præstiti consensus numerandos. Quæ constit. confirmata fuit à d. Bened. XIV. *Constit. Ecclesiastica*, ubi insuper inhi-betur notario datariæ, ne recipiat consensus super quibuslibet resignationibus favore quorumcumque, etiã S. R. E. Cardinalium factis, quoties mandatum procuræ habeat datam anteriorem octo mensium quoad resignantes citra montes, vel duodecim quoad degentes ultra montes. Itèm, præcipitur supplicationem super admissione cujuscumque resignationis signari intra duos menses à data rescripti; ita ut intra sex menses à data concessionis quoad beneficia citra montes, et intra novem quoad existentia ultra montes, eorundem possessio cum effectu capiatur, et gratiæ resignationem cum litteris apostolicis publicentur ad formam constit. Greg. XIII. *Humano*. Inhibetur concessio prorogationis, etiã pro prima vice ad dictam publicationem faciendam, nisi prius docto de litteris expeditis in officio subdatarii, privativè quoad alios Datarariæ officiales: sicuti et ulterioris prorogationis post primam et secundam, nisi justificatum fuerit eorum Datario impedimentum non factæ publicationis: à quo tot prorogationes concedi poterunt, quot necessariae erunt usquè ad remotionem impedimenti: sub pœna, his omnibus non servatis, nullitatis resignationum, et inhabilitatis ad beneficia aliter resignata obtinenda. * *

3.º Admittere renuntiationes conditionatas *in favorem certæ personæ, et non aliàs*, cum reservatione pensionis, aut fructuum, vel cum reservatione accessus, ingressus, et regressus, solus Papa potest ex plenitudine potestatis: nam renuntiationes cum his conditionibus et reservationibus sunt prohibitiæ jure communi (*Can. plerique 8. quæst. 1. cap. un. benefic. Eccles. Trid. sess. 25. cap. 7. de refor. Const. S. Pii V. supra relata, et alia Romani Pontificis.*) Nemo autèm Papa inferior relaxare potest jus commune. Ratio est, quia tales renuntiationes habent speciem hæreditariæ successione, dant occasionem captandæ mortis alienæ, fovent ambitiosam cupiditatem Clericorum; ergò meritò prohibentur sub gravibus pœnis simoniæ confidentialis, de qua *lib. 5. tit. 3.*—Sub eadem prohibitione stant resignationes reciprocæ, triangulares et quadrangulares; dùm duo, tres, vel quatuor permutant beneficia cum conditione, ut aliquod beneficium detur tertio. Plurà de his Reiff.—Ceterum, licet quæcumque pacta inhonesta et simoniam olentia, prohibita sint in resignationibus beneficiorum; id tamèn permissum videtur Episcopo, ut ex gravi causa, puta ob necessitatem vel magnam utilitatem Ecclesiæ, imponere possit beneficio pensionem temporaneam ad vitam beneficiati, de quo agi solet *lib. 3. tit. 12.*

In Constit. Bened. XIV. *In sublimi* 29. August. 1741. damnantur et annullantur pacta cassationis pensionis reservatæ, in beneficiorum resignatione contemporanea ipsi resignationi, per anticipatas vel anticipandas solutiones: sicuti et omnes cassationes ac abolitiones pensionum per anticipatas solutiones, obtentæ intra sex menses à capta possessione beneficii,

etiãsi probari nequat, nullum præcedens pactum intervenisse, et cassatio sequuta fuerit vigore supplicationis à Papa signatæ, quæ ut subreptitiã obtenta declaratur. Insuper tam resignans, quàm resignatarius ipso facto, et absque alia declaratione privantur beneficio, et declarantur inhabiles ad alia assequenda, sub pœna resignatario restituendi, et quidẽm sub peccato gravi, pecunias pro cassatione hujusmodi pensionis simoniacè perceptas, applicandas arbitrio Ordinarii locis piis vel pauperibus. Irritantur deniquè cessationes seu translationes commodi, aut utilitatis percipiendi fructus pensionum factæ intra sex menses à capta possessione, et etiã ultra aliud temporis spatium, si constiterit hoc pactum præcessisse. Hæ eadem irrationes confirmantur in altera ejusdem Pontif. Constit. *Ecclesiastica* 15. Jun. 1746. "

417. Q. VI. *An Episcopus beneficium resignatum conferre possit consanguineis, vel familiaribus resignantis, vel suis, vel illi, pro quo facta est commendatio, preces, et alia signa, ut esset successor resignantis?*

R. Negativè; et quidẽm sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, ubi observatur cit. Bulla *Piana Quanta*.

Ex decreto Cong. Conc. approbato à Greg. XIII., relat. à Bened. XIV. (*lib. XIII. de Synod. Diac. cap. 24. n. 4.*), neque id potest, licet beneficium resignatum conferendum esset per concursum, ad quem ne admitti quidẽm debent; secus, si beneficium vacaret per obitum, ex declaratione Sixti V. ad Bullam Pianam relata *ibid. n. 5.* Hæc tamẽn prohibitio locum non habet in permutationibus quas Pius admittere permittit Episcopo, dummodò sint sacris canonibus consonæ, nec mala fide et fraudulenter coram ipso fiant, id est in commodum potius permutantium, quàm in Ecclsiæ utilitatem vel necessitatem, ut animadvertitur cit. *cap. n. 10.*

Nec locum habet in resignationibus beneficiorum juris patronatus, ex declaratione dicti Greg. adnotata in libris Cong. Con. ut ex testimonio Cardinal. Hyeron. Matthæi Præfecti relato à Quaranta *verb. Benef. resignation.* "

418. Q. VII. *An renuntians pœnitere possit?*

R. Potest, si necdum licentiam et consensum obtinuit: secus si jam obtinuit (*c. 12. h. t.*), ubi obtenta licentia coguntur Clerici cedere beneficiis; ergò à sensu contrario, si licentia nondum obtenta est, locus erit pœnitentiæ, cum sic non illudatur superiori. Vide Paris.

TITULUS X.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM. ^a

419. *Nota*, nomine *Prælatorum* hic venire Superiores jurisdictione ecclesiastica præditos, tam *contentiosa*, quæ exercetur in invitos, ut in iudiciis et punitionibus; quàm *voluntaria*, quæ exercetur in volentes, ut ordinatio, beneficiorum collatio, dispensatio etc. Itẽm eos, quibus jus patronatus nominandi aut conferendi beneficia competit. Est autẽm negligentia omissio ejus, quod Prælati de jure aut consuetudine facere tenentur. Hic potissimum agitur de negligentia commissa in provisione beneficiorum et administratione justitiæ.

420. Q. I. *A quibus suppleatur negligentia commissa in provisione beneficiorum?*

R. 1.º Si beneficium collativum seu liberum spectat ad solum Episcopum secluso capitulo, vel ad solum capitulum secluso Episcopo, negligentia ab uno commissa supletur ab altero (*c. 2. de concess. Præb.*); ita ut negligentiam corporis caput seu Episcopus suppleat, et negligentiam capituli suppleant membra seu Canonici. Quæ dispositio specialis est, ut Canonici tanquàm inferiores suppleant negligentiam Episcopi, tanquàm Superioris; cum aliàs inferior Superiorem corrigere non possit.—Excipe, nisi jus conferendi Episcopo competat titulo speciali, ut ex privilegio, delegatione, vel devolutione: tunc enim negligentiam Episcopi suplet Archiepiscopus, vel alius Superior.

2.º Si beneficium spectat communiter ad Episcopum ut prælatum, et capitulum simul, uno negligente et præmonito, potest collatio fieri ab altero intra semestre; secus, utroque negligente, jus conferendi devolvitur ad Archiepiscopum vel alium Superiorem (*cap. fin. hoc tit. cap. 15 de concess. Præb.*)—Excipit Barbos. in cit. *cap. 15.* casum, quo beneficium spectat ad Episcopum, non ut prælatum, sed ut privatum Canonicum; tunc enim jus conferendi devolvitur ad Episcopum ut prælatum.

3.º Si collator vel præsentator sit persona singularis inferior Episcopo, et statuto tempore non conferat vel præsentet, jus conferendi regulariter devolvitur ad Ordinarium loci; et hoc negligente, gradatim ad Metropolitanum, Primate, Patriarcham et Papam (*Clem. un. h. t.*)

4.º In casu negligentia, beneficia electiva exempta devolvuntur ad Papam; non exempta, si cathedralia sint, ad Archiepiscopum, ex recentiori Constit. *cap. 41. de Elect.* edita in Conc. Lateran. an. 1215., qua corrigitur

^a—De hac materia agitur in Sexto, et Clem. h. t.—In Decreto d. 48. et 86. et c. negligere 2. q. 7.—In Trident. ses. 5. de refor. cap. 1. §. in monasteriis et cap. 2. §. si quæ et sess. 21. cap. 8. sess. 24. cap. 20. §. legatis c. 16. v. et si Ecclesia sess. 25. de regul. c. 8. 14. 22. v. et quia.